

# Chartes et documents de Saint-Bénigne de Dijon. Prieurés et dépendances des origines à 1300. Tome premier., 90

Sacrosanctae aecclesiae sancti Benigni, quae est constructa in Divion vico, ubi ipse preciosus in corpore requiescit et Saron preest abba Bertiloque matricularius. Ibi veniens Teutfredus presbiter, tradidit aliquid de rebus suis ad ipsum locum, tam pro remedio animae suae, quam ipsius loci continua sua stabilitate, hoc est mansum unum et campos duos arabiles, quod est situm in pago Atoariorum, in villa quam dicunt Bargas seu in ipsa fine. Qui mansus habet terminationes, de uno latere, de ipsa hereditate; de alio latus, terra sancti Leodegarii; de uno fronte, vinea sancti Benigni; ex alio fronte, strada publica cum puteo; habet in longum perticas agripedales X, et in una fronte perticas V. Unus campus, qui est in Defesa habet terminationes, de uno latus, de ipsa hereditate; de alio latus, Neitardus tenet; de una fronte, Isardus tenet; de altera fronte Ratbertus tenet. Alter campus terminat, de uno latus, Evrulfus tenet; de alio latus, de ipsa hereditate; de uno fronte, terra sancti Martini; de altero fronte, terra sancti Leodegarii. Similiter condonavit ad supradictam aecclesiam alias res quae sunt sitae in pago Divionense et in ipso vico vel ejus fine, petiolam unam de manso, et de terra arabili petiolas duas. Habet ipsa petiola de manso terminationes, de uno latus et una fronte, terra fiscalis; de alio latus, Airfredus tenet; de altero fronte, terra sancti Benigni; et habet in longum perticas agripedales III et pedes VIII, et per transversum pedes X. Una petiola de terra terminat, de ambobus lateribus et uno fronte terra sancti Benigni; de altero fronte terra sancti Stephani. Altera petiola terminat, de uno latus et una fronte, terra sancti Benigni; de altero latus, terra sancti Johannis; ex altero fronte, conturnus vicinorum; infra istas terminationes vel perticationes ipsum mansum et alias res, sicut in ista carta donationis insertum est, totum et ad integrum, dono ad predictam aecclesiam ipsius sancti Benigni et ejus custodes monachos, trado atque transfundo de meo jure et potestate in eorum potestatem et dominationem, ita ut quicquid exinde ad communem utilitatem vel perfectum facere voluerint, liberam et firmissimam, in Dei nomine, in omnibus habeant potestatem, nullo contradicente. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis vel proheredibus, seu alia quelibet opposita persona contra hanc donationem venire aut calumniam aliquam inferre temptaverit, nullatenus valeat evindicare quod injuste repetit sed inferat ipsius aecclesiae custodibus, una cum socio fisco, auri untias II coactus, et eternam insuper damnationem multatus, nisi resipuerit ab hac stulticia. Et hec donatio firma et stabilis omni tempore permaneat stipulacione subnixa. Actum Divion vico, ad sanctum Benignum, publice. Signum Teutfredi presbiteri, qui hanc donationem fieri et firmare rogavit. S. Adalgii presbiteri. S. Germani, qui consensit. S. Sarilonis. S. Asquini. S. Arulfi. S. Odolgerii. S. Adelberti. S. Ragenbaldi. Ego Rago, indignus subdiaconus, hanc cartam donationis rogatus scripsi et subscripsi, datavi die dominico, mense novembrio, anno XXXIII regnante Karolo rege. De bargis.